DE VENAE SECTIONE.

PARTICULA PRIMA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVI. M. DECEMBRIS A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JACOBUS JULIUS KIRSCHSTEIN

BORUSSUS OCCIDENTALIS.

OPPONENTIBUS:

J. LOEWENSTEIN, med. et chir. Dd.
ABARBANEL, med. et chir. Cand.
M. JAFFÉ, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS SCHNITZERIANIS.



Quod spiro et placeo, si placeo, Tuum est.

Horat.

VIRO

CLARISSIMO, HONORATISSIMO, HUMANISSIMO

JOEL WOLFF MEYER

REGI A CONSILIIS COMMERCIORUM INTIMIS

NUPTIAS ARGENTEAS CELEBRANTI

HOCCE QUALECUNQUE MUNUSCULUM

SUMMA QUA PAR EST VENERATIONE

OFFERT

AUCTOR.

VENAESECTIONIS HISTORIA.

CAPUT PRIMUM.

Venaesectionis historia ab antiquissimis temporibus ad Hippocratem.

Inter omnia, quotquot per temporum decursum in therapiam sunt admissa medicamenta, nullum fere magis celebratum, nullum omnino saepius adhibitum invenias venaesectione, quam jam antiquitatis medici magnopere commendarunt [1]). Hujus remedii, cujus defectus nulla re alia possit compensari, quum ut multarum aliarum, quae in chirurgiam admittantur, curationum origo sit antiquitatis tenebris offusa, nulla, immo ne minima quidem veri specie statui posse videtur, a quo populo aut quo tandem tempore venae secandae ars primum inventa sit. Cui hoc acceptum referamus, quum nulla qumvis sollertissima quaestione reperiri possit, id statuisse satis sit, jam remotissimis antiquitatis temporibus adhibitum hoc remedium, idemque gentibus omni culturae vel alienissimis notum fuisse.

Neque minoribus difficultatibus haec quaestio implicata est, quibus tandem causis homines ad id

[1]) Galen. de venaesectione adv. Erasistratum edit. Kuehn. Tom. XI. pag. 147.

perducti sint, ut sanguinem mitterent. Plinio [1]) si fides est habenda, fuere Aegyptii, qui primi omnium venas secare ab hippopotamo didicerint. Refert enim: „hippopotamum assidua satietate obesum exire in littus, recentes arundinum caesuras speculatum, atque ubi acutissimam videt stirpem, imprimens corpus, venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluvio sanguinis morbidum alias corpus exonerat, et plagam limo rursus abducit." — Polydorus Vergilius [2]) qui idem factum perhibet, hoc praemittit: „ab hippopotamo medici mittere in morbis sanguinem, quod phlebotomare vocant, didicerunt." Valde mira ac fabulosa narratio! Tametsi hunc quasi natura ipsa institutum sanguinis mittendi modum minime usu experti sumus, licet Prosper Alpinus Nili accolas saepius ad hunc recens profusum sanguinem vidisse referat, tamen non est quod satis mireris, Joann. Bapt. Montanum in medicin. univers. meminisse, equos Pannonicos et Tartaricos, quum satis concitato cursu sint usi, vena aliqua morsu aperta sponte sanguinem deplere. Sed certe multo probabilius multoque rectius id statuere mihi videor, viros, quum in permultis acutis morbis homines profluvio sanguinis sponte [3]) exorto per tempus aliquod a doloribus liberari viderent, contra suppressis mensibus feminas in magnos incidere morbos, istis autem redeuntibus meliore valetudine uti cognoscerent; viros, inquam, naturae studiosissimos

---

[1]) Plinius lib VIII. cap, 26 et lib. XXV. cap. 1.

[2]) Polydorus Vergilius de rerum inventoribus lib. I. cap. 21 p. 74.

[3]) Cf. Galen de venaesectione adv. Erasistratum edit. Kuehn Tom. XI p. 158.

eo perductos esse, ut quam a natura initam rationem intelligerent, eandem arte sibi persequendam sumerent. Sed utcunque se res habet, nullum nobis exemplum memoriae proditum arbitror, quo venaesectionem ante Trojanum bellum factitatam esse doceamur, cujus quidem prima, quae graviori auctoritate nititur, narratio apud Stephanum Byzantium de Urbibus exstat.[1])

Podalirius enim, Aesculapii filius, Machaonis frater, Troja versa, quum in patriam redux et in Cariam delatus ad Damoethum, hujus regionis principem ductus esset, Syrnam, regis filiam, quae de tecto lapsa in gravem incidisset morbum, vena utriusque brachii secta, in integrum restituisse fertur; quae res tanto gaudio regem affecit, ut, quo dignissimam medico referret gratiam, ipsi filiam in matrimonium daret, eumque Chersoneso donaret.[2]) Post haec plus septem saecula sunt, per quae sanguis missus non memoratur. Euryphon demum (450) in Cnidd. sententt. hujus rei mentionem injicit,[3]) et Democritus Abderi-

---

[1]) Indis venae secandae laudem tribuendam non esse, non est quod dubites. Cf. J. F. K. Heckeri Hist. medic. Vol. I. §. 5. pag. 235. Sed fortasse Sinorum virtuti debemus, quorum medicis jam ante haec quatuor millia annorum sanguinis circuitus quidam notus fuisse traditur. Cf. Heckeri Histor. medic. Vol. I. §. 6. pag. 27. Pulsum ut cognoscant, quamvis iidem permultum impendant diligentiae, venaesectionem tamen supervacaneam habent, quia ut aquam ferventem ita sanguinis aestum copia diminuta non deprimi judicant. Cf. Ed. Andr. Cleyer L. c p. 72.

[2]) Quae res ut jam per se memorabilis, ita et in artis medicinae historia magnum habet momentum. Constat enim inter omnes a Podalirii illius et Syrnae filio Hippolocho Hippocratem genus duxisse suum; constat, Cariam illam fuisse regionem, unde Aesculapii sacra inprimis Coum et Cnidum insulas propagarentur. Cf. Heckeri Hist. medic. Vol. I. §. 11. pag. 54.

[3]) Coel. Aurel. lib. III. cap. XVII.

tes, philosophus celeberrimus (494—404), hoc curandi genus in elephantiasi adhibuit. [1])

CAPUT SECUNDUM.

Hippocrates de venaesectione quid statuerit.

Ab Hippocrate (460—370) ut omnes medicinae partes majori studio provectae et illustratae sunt, ita virum longe sagacissimum fugere non potuit, quantum esset in hoc medicamento positum remedium. Videant igitur medici, ne quid falsi aut prope dixerim insulsi contenderint, qui naturae illum diligentissimum perscrutatorem atque investigatorem, artis nostrae parentem, nec ipsum sanguinem misisse nec mittendum suasisse volunt, quia haec curatio illis potissimum scriptis memoratur, quae si non suppositicia, malae saltem suspectaeque sint fidei. [2]) Imo ipsa venae secandae doctrina est ea, cui primum dederit in therapia locum; plurimis experimentis, ingeniique qua nemo eum superaturus sit acie, quando adhibenda venaesectio esset, tam recte et accurate docuit, ut vel hodie fere nullus eveniat casus, qui et sibi

---

[1]) Coel. Aurel. Chron. de elephantiasi lib IV. cap. I.

[2]) Nonne quam Anaxio medendi rationem praecipit, et qui in libro, cujus fidem haud quisquam in dubitationem vocavit, exstat locus de diaeta in morbis acutis (lib. II. cap. 2), cujus summam infra delibabimus: nonne inquam, haec cum non tam alienum a venis secandis fuisse probant, quam interdum perhibetur? At audiamus hac in causa Galenum: *Οὕτως γὰρ ὁ Ἱπποκράτης γε αὐτὸς ὁ τῶν καλῶν τῆς τέχνης ἁπάντων ἡμῖν ἡγεμὼν, οἵ τ' ἄλλοι παλαιοὶ φαίνονται χρώμενοι τῇ φλεβοτομίᾳ.* Ceterum secundo de morbis libro, quem spurium esse jam convenit inter omnes, ubi de inflammatis morbis, febribus, haemorrhagiis agitur, nullum venae secandae deprehenditur vestigium.

lanceola utendum cognoscat medicus. [1]) Quamvis enim novissimis his temporibus fuerint medici, qui vel pneumonias a se curatas prae se ferant nulla secta vena, cujus in locum tartarum stibiatum adhibendum censent, tamen jam Hippocrates voluit, idque rectissime, in quovis morbo acuto venas aperiri. [2]) Quod placitum nullo modo fieri potuit, quin ex iis, quae de inflammationibus statuebat, prodiret. Has enim tum demum fieri vult, quum sanguis, quas partes anteà non complevisset, se in has effunderet: [3]) a quibus ita affectis quum sanguinem removeret, sane facillime morbum tollere potuit. Inde monet [4]) quam proxime loco corporis laboranti sanguinem mittendum, a quo semel [5]) tantum eum discedentem videmus, ubi quam longissima ab illa parte, qua dolor et congestio existat, venam perfundi vult; quia hac ratione nimis subitae mutationes non perficiantur et humores ab affecta in alias deducantur partes. Sanguinis mittendi copiam non generatim, sed ex rebus praesentibus quibusque, corporis qualitate, anni tempestate, aetate coloreque praescripsit; neque certos dies imperavit, semper vehementiae affectionum quam maximam habens ra-

---

[1]) Cf. Heckeri lib. cit. Vol. I. §. 29. pag. 153.

[2]) De diaeta in acutis lib. IV.

[3]) φλεγμαίνει δὲ τὰ ἕλκα δι' αἵματος ἐπιῤῥοήν, de capit. vulner.

[4]) Cf. de diaeta in acutis lib. IV. ubi in angina venis brachiorum sectis, linguae etiam venarum pertundendarum auctor exsistit.

[5]) περὶ ὀστέων φύσιος.

tionem[1]), ita ut, si quis acutior dolor incideret, ad animi usque deliquium sanguinem detrahere non dubitaret. — Idem auctor primus venae secandae mentionem in pleuritide facit, et quamvis eam fomentis calidis non inepte curari censeat, dolore tamen vel ad claviculam vel ad mammam vel ad brachium penetrante, aut gravitate in brachio, circa mammam vel supra septum transversum obvia internam cubiti venam secandam neque cunctandum arbitratur, aliquantum sanguinis mittere, donec aut magis rubescat, aut si antea rubebat, fuscior existat. Dolorem vero infra diaphragma esse ubi cognovit, etiam sanguinem detrahendum curavit, saepius tamen, ac fere semper medicamenta purgantia adhibuit.[2]) *Μάλιστα δὲ*, pergit, *ἥπατος περιωδυνίαι καὶ σπληνὸς βαρέα καὶ ἄλλαι φλεγμασίαι τε καὶ ὑπὲρ φρενῶν περιωδυνίαι τε καὶ ξυστροφαὶ νοσημάτων οὐ δύναται λύεσθαι, ἥν τις πρῶτον ἐπιχειρέῃ φαρμακεύειν.*

Sed quum anatomicam vasorum structuram parum perspectam haberet, quid mirum, si falsa opinione permotus, venas saepe diversis in locis secari vellet, id quod non tam ipsi, quam anatomiae puerilem, ut ita dicam, aetatem tunc agenti vitio vertere debemus.

---

1) Pedis sanguine mittendo Stymargi servam jam toto corpore contremiscentem ab Hipp. refectam esse tradunt. — Et cum non solum inflammatione, sed etiam morbi origine et progressu atque cujusque aegri conditione, ut venam secaret motum esse, inde demonstrari arbitor, puod in tremore et hydrope, aliisve morbis febri carentibus phlebotomiam adhibendam censebat. Cf. Galen. de venaesoctione adv. Erasistratum edit. Kuehn. Tom. XI. pag. 164.

2) Qui diarrhoea laborent, aut infirmo corporis statu utantur, in iis phlebotomiam adhibere omnino utile esse non censet, multum inde detrimentum illos capere ratus. Hipp. de aere, locis et aquis cap. XI.

CAPUT TERTIUM.

Dogmaticorum Schola.

Hippocratis discipuli, qui peculiarem Dogmaticorum scholam condiderunt, permultum ab iis sententiis praeceptisque, quibus auctor eorum plurimum omnium perfecerat, recesserunt. Tantum enim aberat, ut nullis praeoccupatis opinionibus simplicem naturae perscrutandae viam ac rationem persequerentur, ut perniciosa Scepticorum placita sectarentur, libidini speculandi indulgentes, quo fiebat, ut omnia ad causas rationales revocare inaniter cuperent. Jam Thessalus et Draco, Hippocratis filii, ejusdemque gener Polybus in universum quidem Hippocraticae disciplinae addicti, prope nullam sicut dogmatici, anatomicae vasorum doctrinae rationem habebant, ita ut stultissima de his rebus facerent judicia. Quod ad locum attinet, quo venae sint secandae, prorsus Hippocratis sententiam abjecerunt. Qui quum praecepisset, loco qui esset affectus quam proxime venam pertundendam esse, hi in morbis superiorum partium phlebotomia in inferioribus adhibita, ac vice versa, plus effici arbitrabantur, quia hac ratione sanguis simul in locum remotiorem deflecteretur [1]) Ita derivationis (παροχέτευσις) et revulsionis (αντίσπασις) doctrina illa orta est, quae tempore posteriore, sexto decimo maxime saeculo accerrimae disputationi copiam praebuit, qua omnium fere istius aetatis medicorum doctorum animi incendebantur. Virorum huic

---

1) Cf. de Humoribus p. 47. Galen. Method. med. 4. pag. 80, 81.

scholae addictorum ut persequamur sententias, eorum quidem qui maxime eminebant, primum de Diocle Carystio (350) agamus. Hic quidem de anatomia litteris tractanda praeclare meritus, et iisdem sub conditionibus, eodemque loco ac Hippocrates, cujus praeceptoris scripta primus omnium explicavit, venam perscindendam ratus[1]) in eo tamem ab illo recessit, quod in epilepsia[2]) et paralysi[3]) venam secandam suadebat, quemadmodum in angima modo aegrotorum sanguine abundantium venas utriusque brachii secabat[4]); contra in encephalitide alios intra sextum diem, alios vero post septimum et octavum sanguinem mittere jubebat, nec brachii venas secuisse contentus, venas etiam sub lingua aperir volebat[5]). Contra venam secari noluit Chrysippus Cnidius, Erinei filius, dogmaticus ille (340), qui Aegyptiorum et Pythagoreorum artem medicam restituit, inprimisque placita Pythagorea amplexus, animam contineri sanguine docuit, quo igitur imminuendo quin anima detrimentum caperet, nullo modo fieri posse. Quamobrem sane omnis venaesectio erat fugienda illi, qui quum omnium morborum caussam primariam in partium solidarum vitiis et loci errore fluidarum positam esse sibi persuasisset, humores corporis arte emittendos esse nunquam credere aut praecipere po-

---

1) Coel. Aurel. lib. II. c. 20.
2) Cf. eund. chron. lib. I. c. 4.
3) Ibid. c. 5.
4) Coel. Aurel. acut. lib. III. c. 4.
5) Coel. Aurel. acut. lib. I. cap. 12.

tuit[1]). In tussi cruenta et in inflammatione, fasciis impositis, venae secandae utilitatem compensari voluit; at omnes acutos morbos severa inedia sanabat, et motui et frictioni et balneo plurimum tribuens. Rursus vero a Praxagora Coo (335), qui doctorum Asclepiadarum ultimus reperto discrimine inter venam et arteriam, ut ipse vocavit, intercedente — quamvis jam antea φλέβες σφύζουσαι notae essent — exegit sibi monumentum aere perennius: a Praxagora, inquam, quum morborum caussam principem in corruptis et commutatis corporis humoribus sitam putaret, detractus quidem est sanguis copiose, sed non nisi ad quintum morbi diem, quippe inprimis in senibus, hominibus infirmis, infantibus, ne alii inciderent casus adversi, metu prohibitus est. Quam in peripneumonia eandem in pleuritide sequebatur rationem[2]), inprimisque in haemorrhagia utebatur phlebotomia.

CAPUT QUARTUM.

Erasistratus ejusque schola.

Talis igitur remedii longe gravissimi erat usus, quum Erasistratus (304), qui Julide, urbe quadam insulae Ceinatus, in Seleuci aula et deinde Alexandriae vitam degebat, Chrysippi Cnidii, sui magistri sententias acerrimo studio caecoque amore defenderet: quod quidem non nisi adversariorum scriptis compertum habemus, quum illius nullus ad nos pervene-

---

[1]) Omnino ab hoc inde tempore inprimis in haemorrhagiis supprimendis fasciis membra involvi, longe omnium utilissimum judicabatur. Cf. Hecker l. c. §. 46. pag. 200.

[2]) Coel. Aurel. acut. lib. II. c. 29.

rit liber [1]). Attamen major est Coelio Aureliano quam Galeno tribuenda fides, qui ubi de venaesectione adv. Erasistratum agit, hunc in scriptis non nisi semel idque obiter venae secandae mentionem injecisse ait.

Itaque Erasistratus certe venam secuit, id quod qui eum secuti sunt, plane rejecerunt. [2]). Et sane sanguinis detractionem ut improbaret, doctrina de inflammatione ab ipso proposita eum permovere poterat, si omnino statuere licet, virum, quem aequales cum admiratione suspexerunt, qui oblata occasione humanorum corporum secandorum cum tanta usus est sollertia, ut non solum de cerebri et nervorum doctrina immortaliter mereretur, sed etiam non multum abesset ab sanguinis circulatione reperienda, qui in medicina litteris excolenda mirum quantum elaboravit: si talem virum praejudicatis opinionibus teneri potuisse statuere licet, quas vel quotidianus usus refellere debuerit. Sed haec res utcunque se habet, inflammationem inde ortum sumere credidit[2]), quod sanguis venosus calido innato carens plethora — quam ipse quidem primus omnium ita nominavit, qua vero non sanguinis, sed nutrimentorum superpletionem intelligi voluit -- sive quacunque alia caussa per synanastomoses in arterias spiritu tantum completas perveniat. Qua sententia animo

---

1) Jam illa ipsa aetate, qua integra Erasistrati circumferebantur opera, de ejus opinione disceptatum esse tradunt. Cf. Gal. de venaesectione adv. Erasistratum edit. Kuehn. Tom. XI. pag. 151.

2) Siquidem Erasistratus phlebotomari praecipit patientes. Alii vero ejus sectatores etiam fieri principaliter damnaverunt hoc adjutorii genus, tamquam virium vexabile.

concepta, num in inflammatione φλεβοτομεῖν potuerit? Ut venam discidisset, sanguinem quidem, si res perbene cederet, in arterias effusum removisset, nec vero impedire potuisset, quominus spiritus magnopere turbatus proxime in venam indeque per factam aperturam emitteretur. Sin vel arteriam voluisset aperire, id quod posthac ab Aretaeo factum est, spiritus etiam facilius effugere, sanguisque eo celerius in locum vacuefactum immitti potuit. Itaque optime ab Erasistrato factum crediderim, quod in inflammationibus plethoram, — quemadmodum nos hanc vocem explanamus — opprimere studebat, neque tamen remedia, quibus est usus, pro ea quam hodie his de rebus notitiam habemus, probare poterimus. Humores enim ut disjiceret corporis, membris fascias imposuit[1], ciboque abstineri voluit, quo curandi genere, quid mirum, si unus alterve morte abreptus sit matura. Eadem ratione agebant discipuli ejus Strato Berytius (280), Apoemantes, Nicias Milesius, Xenophon Cous, Artemiodorus Sidensis multique alii, quorum duo primi suae agendi rationis caussas attulerunt, de quibus Galenus facit judicium[2]). Omnes Erasistrateae disciplinae sectatores cum alieni erant a venis secandis, tum Apollophantes, medicus ille Antiochi Soteris, Syriae regis, etiam in pleuritide et pneumonia cataplasmata emol-

---

[1]) Galen. de venaesectione adv. Erasistratum edit. Kuehn. Tom. XI. p. 153 et 154.

[2]) Galen. de venaesectione adv. Erasistratum edit. Kuehn. Tom. XI. pag. 148.

lientia imponi voluit. Quod arterias vulneratas sanguinem mittere cognoverunt, hoc contra naturae leges inde fieri statuebant, quod ex partibus vicinis sanguis in istas immissus sit.

CAPUT QUINTUM.

Herophili sectatores.

Eadem, qua Erasistratus aetate (305) vixit Alexandriae Herophilus Chalcedonius, qui hominum anatomiam ad summum perfectionis fastigium perduxit [1]). Quem non fugit, arterias sanguine repletas esse, sed inde spiritum undique attrahi censuit, humores corruptos omnium morborum principalem causam arbitratus. Sed altera ex parte hoc mentis errore captus, ut omnibus morbis medicamentorum vegetabilium usu mederi se posse confideret, venaesectionem non ita saepe adhibuisse videtur, et in tussi adeo sanguinolenta artus, inprimis os femoris et brachia constringi jussit. Inter ejus asseclas, fere ad unum omnes in materia medica elaborantes, ex quibus Demetrius Apomensis (270) haemorrhagiarum doctrinam condidit, Apollonius quidam Pergamenus, ab Erotiano Θηρ cognominatus, memoratur, qui ut multi alii Herophileae disciplinae addicti, optime de Hippocraticorum librorum interpretatione crisique meritus est. Hic cum Erasistrateis venae sectionem nihili habens, in locum ejus cucurbitas substitui voluit, et si quo tamen rerum discrimine ad illam confugere coactus erat, clysmate antea instituto, medica-

---

[1]) Cf. Heck. Vol I. §. 48. p. 295.

mentisque porrectis purgantibus, parvam tantum sanguinis partem detraxit.[1])

CAPUT SEXTUM.

De Empiricis.

Neque ita copiosa sanguinis detractione usi sunt Empirici, quorum auctor Philinus Cous, Herophili discipulus, perhiberi solet. Quod observationem[2]) esse dictitabat, qua evaderent medici, eo jam omni dogmatica medendi ratione abjecta, experientiam tantum summam rerum arbitram esse voluit. Quod quamvis per se laudabile esset, tamen et ipse et ejus discipuli magnopere a vero aberrarent necesse erat, quum omnes theoriae partes, inter quas anatomiae quoque et physiologiae locum dedere, ad observationem non referrent. Sed haec illorum opinio non admodum magnam in usum venaesectionis vim exercuit: nam licet valde providi in sanguine mittendo essent, ac parvarum laesionum non magnam haberent curam, in quaque tamen majori venas secuerunt; neque omnino, si Galeno credendum, hoc in genere discriminis quicquam inter istos et dogmaticos intercedebat, quamvis aliis in rebus toto coelo ab his aberrarent. Attamen etiam illa in re discrimen facile agnoscas. Etenim Philinus quidem in casibus iisdem, eademque ratione, ac Praxagoras venas secandas commendabat; at jam Serapion Alexandrinus (270) maximam in

---

1) Coel. Aurel. acut. Lib. II. c. 28.
2) Ibid. lib. III. c. 25.

venaesectione cautionem adhibuit. Ut omnino Empirici in venaesectione administranda cautissimi existerent, hoc eo est factum, quod de morborum ortu judicabant. Hunc enim quum ex sanguinis abundantia aut primarum viarum cruditate derivarent, clysteri, remediis purgantibus, cataplasmatis permultum ponderis tribuere debebant. Nec sanguinis detractionem, si quando admittebant, aliter instituebant quam illis remediis praemissis. Idem secutus est Glaucias, qui artis medicinae fundamenta modo observationi, historiae, transgressui ad similia (analogiae) superstructa voluit. Quin adeo Heraclides Tarentinus (240), decus ille et magnum ornamentum Empiricorum [1]), in universum quod ad sanguinem detrahendum pertinet ab Empiricorum placitis non recessit; sed morbos ex momentis causalibus tractans, in ipsa pleuritide et pneumonia primum clysterem bis terve adhibuit, deinde vero ubi aegrotum meliorem conditionem non recuperare cognovit, parvam tantum sanguinis copiam depleri jussit. Simili quidem ratione quum omnes acutos morbos curaret, optime tamen ubi venaesectio topica universali esset praeferenda perspexerat, et vel in gravioribus capitis affectionibus venam frontalem aperiebat, cujus rei nullum quod sciam in therapia superiore nobis occurrit exemplum. Rectissime etiam statuit discrimen inter encephalitidem a sanguinis abundantia profectam, ideoque sanguine detrahendo curandam, et illam cruditate effectam, in qua purgationibus ordinatis magnam utique

---

[1]) Coel. Aurel. acut. lib. I c 17.

utilitatem adipisci poterat. Menodotus vero Nicomedensis (100 p. Chr. n.), quo nemo fere ex Empiricorum schola usque ad finem alterius p. Chr. n. seculi vigente rudior inventus est, in iis solum casibus, ubi nimia sanguinis congestio ad partem quandam singulam existeret, venam perscindendam judicabat.

CAPUT SEPTIMUM.

Methodicorum disciplina.

Anno circiter 219 a. Chr. n. Archagathus, Lysaniae filius, Peloponneso oriundus, Romae sedem suam collocavit, ut medicinam ibi exerceret[1]. Sed magnam, quam apud omnes primum fidem sibi pararat, postea plane perdidit, quippe eam curandi rationem crudelem amplexus, ut cautere, sectione, multaque copissaque sanguinis depletione carnificis cognomen ei inderetur. Alter Graecus medicus qui Romam migravit, fuit Asclepias Prusensis (90 a. Chr. n.), qui ista in urbe apud omnes fama et auctoritate pollebat, ut vel Crassus et Cicero magnam cum eo familiaritatem contrahere non dubitarent. Itaque Plinius[2]: universum, inquit, prope humanum genus circumegit in se non alio modo, quamsi coelo emissus advenisset.[3]

---

[1]) Cf. Plinius lib. XXIX. cap. I.

[2]) Lib. XXVI. cap. 3.

[3]) Omnium quotquot ante eum vixerunt medicorum sententias refutabat, ne Hippocrate quidem horum e numero excepto, secundum Galenum, superiores medicos id tantum spectasse ratus, quo modo homines morerentur.

Qui vir ingenuosus, doctrina de venaesectione quae proposita erat, in examen gravissimum vocata, primariam hujus rei indicationem dolorem inflammatorium esse voluit [1]) ortum illum ex majorum corpusculorum, quibus sanguis esset compositus, statione. Sublata igitur hac stasi, id quod venis secandis optime perficeretur, motum sanguinis praepeditum et hac re laborantem spiritum statim refici arbitratus est [2]). Venaesectione contra opus non esse monuit in morbis nullo dolore decurrentibus, inter quos febres, pneumoniam nullo dolore decurrentem, encephalitidem rettulit. Censuit enim sanguinem venis sectis relictum, quum crassior reddatur et ad stationem disponatur, non tam morbos tollere, quam in deterius vertere.

Contra tunc semper id remedii genus adhibebat, ubi sanguinis impetum pectus versus fieri intelligebat, inprimis in haemorrhagiis praecipueque pulmonalibus [3]), qua in re ne artus adstringamus nos admonet. Neque eandem, quam Erasistratus de plethora sententiam animo conceperat — illa quidem si recta esset, omnes morbos statim ab initio purgationibus tollendos judicabit, id quod saepe longe aliter evenire sciebat — sed plethoram causam ducebat continentem, venis incidendis optime tollendam, quo ne morbus augeretur, impediri putabat. Commendabat porro venarum secandarum remedium in synanchicis [4]), quod

---

1) Cf. Coel. Aurel. acut. l. I. c. 14.
2) Cf. Coel. Aurel. acut. lib. I. c. 15.
3) Cf. Coel. Aurel. chron. lib. II. c. 13,
4) Cf. Coel. Aurel. acut. l. III. c. 4.

cucurbitarum et scarificationis usu adjuvabat, probabatque phlebotomiam ex fronte faciendam vel oculorum angulis, vel venis, quae sub lingua sunt, vel e brachio. At si major passio fuerit, dividendae sunt fauces, etenim summa est in his aequalis sive par incisura, quam appellavit homoeotomiam [1]. Quin etiam in summo rerum discrimine laryngotomiam non respuebat [2]. In pleuritide vero, quod venam secandam attinet, et constitutionem et loci conditiones statum respexit quam maxime, nam Romae Athenisque ex sanguine misso aegrotum detrimentum esse capturum statuens, phlebotomiam tamen in Hellesponto et Parii fieri volebat. [3] Quamquam Asclepias in venaesectione (quam derivatoriam fuisse crediderim) admittenda cautissime agens, inprimis et aetatis et sexus, et constitutionis, et temperiei coeli rationem habebat, tamen in universam eam non ita raro instituebat, quia non tammorbi nomine, quam affectionum vehementia ducebatur. Qua quidem ratione permulti ejus discipulorum quam non eandem haberent ingenii aciem, in errores inciderent necesse fuit. Inter hos, numero insignes, quorum plerique materiam medicam elaborandam sibi sumpserunt, praecipue eminuit Themison Laodicenis (50 a. Chr n.), scholae methodicae auctor. Qui medicinae factitandae initio, quum magistri doctrinae plane fuisset addictus, neque minus quam ille mediam quandam inter Dogmaticos et Empiricos ratio-

---

[1]) Coel. Aurel. acut. lib. III. c. 4.
[2]) Ibidem.
[3]) Ibidem c. 22.

nem iniisset, [1]) aetate provectior, praeceptis illius valere jussis, hanc novam proposuit doctrinam: morbos quotquot essent referendos aut ad adstrictionem aut ad laxitatem, [2]) quibus deinde tertium quoddam addidit genus, in quo uterque hic status una in diversis corporis partibus deprehenderetur. Laxum igitur corpus adstringendum esse et invicem, et in malis mixtis primum gravius affectum organon curandum suasit. Remediis vero corpus laxantibus accensuit, quaecunque evacuationem aliquam efficerent, itaque et venaesectionem, quam in primo etiam collocabat loco, cujus quidem vis refrigeratoria non nisi ad relaxationem revocabatur. Unde hujus scholae sectatores hoc in remedio adhibendo non ita cunctatos esse [3]) patet, quamvis iidem multo sanguine mittendo non admodum delectarentur, neque omnino libenter post diatriton [4]) venas secarent, quod tunc jam vires imminutae essent. [5]) Attamen venae saepius quoque dissectae exempla nobis complura occurrunt. [6]) Quin etiam topicam sanguinis detractio-

---

1) Cels. praef.

2) Cf. Heck. l. c. §. 56. p. 399. Nota.

3) Coel. Aurel. acut. L. III. c. 8. et I. c. 27.

4) In haemorrhagiis tertio demum die venam pertundendam censuere, quum nisi interea vasa coiissent, necessario inflammatici tumor oriri deberet.

Soranus intra diatriton sanguinem misisse traditur. Coelius enim Aurelianus [7]) intra diatriton, inquit, phlebotomiam adhibuit, si vehementer passio coegerit. Etenim indiget, repentina sanguinis detractione ob celerrimum laxamentum. Cf. Jo. Henrici Schulze. Compendium historiae medicinae. lib. II. c, 15. p. 342.

5) Coel. Aurel. acut. lib. III. c. 12.

6) Ejusd. chron. l. II. c. 13.

nem esse voluit Themison, quam discipuli non amplectebantur; deinde idem ideo laudandus, quod hirudinum jam a Nicandro adhibitarum usu in therapiam reducto, has praesertim in capitis dolore apposuit. [1]) Sed aliam quum haberent ejus discipuli sententiam, quatenus vires permitterent, venas secuerunt, et si altera pars capitis doluit, ex contraria detractionem fecerunt, quo longius adjutorio commotio a parte patienti remota videretur. [2])

In encephalitide Themison non usus est venaesectione, [3]) discipuli raro tantum idque permittentibus viribus non nisi morbi initio, si strictura erat vehemens, sanguinem ad animi defectum non deplentes. [4]) Hominibus autem ex epilepsia laborantibus Themison tam diu sanguinem ante accessionem mitti jussit, donec is mutaretur, quod ejus sectatores in ipsa accessione faciebant, si nulla esset corruptionis vel indigestionis suspicio. [5]) In paralysi, Themison e parte affecta, [6]) discipuli ejus modo e brachio, si copia esset, modo e qualibet parte patienti contraria sanguinem detraxerunt. Neque minus viri huic scholae addicti morem tum vulgarem rejiciebant, secundum quem in venaesectione sub lingua, quo major sanguinis copia profunderetur, funis circum collum

---

[1]) Col. Aurel. acut. lib. III. c. 5

[2]) Ibidem.

[3]) Coel. Aurel. acut. l. I. c. 16.

[4]) Ibidem c. 10.

[5]) Ibidem c. 4.

[6]) Coel. Aurel. chron. lib. II. c. 1.

ponebatur; nec admiserunt venaesectionem sub pectore, et in catarrho ad summum cucurbitis usi cunt cruentis. Singulare quid quoque fuit hujus scholae, quod venam quam longissime a loco affecto pertundi volebant. Sed nimis fines huic quantulaecunque commentationi positos excederemus, omnes si morbos commemoare vellemus, in quibus sanguinem detraxerint. Ut verbo complectar, semper phlebotomiam instituere ad tensionem, stricturam minuendam, dummodo aegrotus homo esset validus; nullo tamen modo contendere dubitarunt in infirmis hominibus vexatis viribus venaesectionem ab jugulatione nihil differe. Neque vero facere possum, quin commemorem aegrotis e pleuritide laborantibus, si haec esset ex inflamatione orta, semper eosdem venis secuisse, sed e contrario, quippe quorum sententiis venaesectiones topicae repugnarent: ubi autem morbus ille gastricis caussis esset conflatus, sanguinis detractionem inutilem putarunt. [1]) Quem morbum curantes quamvis ab Hippocrate recederent, nec minus in ileo sanguineo tractando quod attinet venaesectionem in hydrope tamen ejus sententiam secuti venas secabant. Inprimis in mania, ne sanguis nimium profunderetur, monuerunt, nam ut Coelius Aurelianus scribit: [2]) ,,alii phlebotomiam adhibendam probant ex duobus brachiis usque ad animi defectionem, ut saepe faciunt mortis cupientes, etenim defectio et virium amputatio sequuntur immo-

---

[1]) Coel. Aurel. acut. l. I, c. 12.

[2]) Ibidem l. II. c. 18.

dicam sanguinis detractionem." Et fortasse hac re imperator Nero motus est, ut sanguinis detractionem poenam capitalem existimaret. Restant jam tres inter hos Methodicos digni, de quibus singulariter brevi agatur.

Soranus Ephesius, major natu, circiter a. 100 p. Chr. florens, longe doctissimus Methodicorum omnium existimatur ac propter praeclaram in morbis chronicis, quibus Themison primus singularem diligentiam adhibuerat, positam operam gratae per annorum seriem tradetur memoriae. In pleuritide, aliter quam Asclepias sentiens, semper venas secuit, nulla diversae coeli naturae ratione habita; pleuritidem etenim strictura nasci credidit, quae nisi venis secandis non removenda esset. [1]) — Pervenimus nunc ad illum jam saepius nobis citatum Coelium Aurelianum qui Siccae, Numidiae urbe ortus (circa a. Chr. n. 210) eidemque scholae addictus, Sorani opera in epitomen uberrimam redegit, unde plurima ad veteris medicinae historiam pertinentia haurire possis. — In quorum Methodicorum agmen A. Cornelium Celsum, qui imperatoris Aug. temporibus vixit et Ovidio amico usus est, qui medicorum Cicero, Latinorum Hippocrates, Latinissimus Celsus nominatur, nonnulli relatum volunt; at unus illorum fuit medicorum, qui nulli addicti disciplinae medicinam excolerent. Cujus quae fuerit de venis secandis opinio, quid attinet hic multis exponere,

---


[1]) Coel. Aurel. acut. l. II. c. 22.

quum omnium manibus circumferatur illud opus, quo hac de re exposuit. Ablegantes igitur te ad hoc, L. B. inprimis decimi capitis libri secundi quaesumus, habeas rationem. [1])

Sed haec hactenus. Jam vero quae de venaesectione perscripta habeo, alio loco ivante Deo integra dabimus.

---

[1]) Adeo proni ad venas incidendas Celsi aetate erant medici, ut fere nullus inveniretur morbus quin hac ratione tollendum putarent. Eo emagis est Celsus collaudandus, quod turbae opinionem non secutus, casus ubi hoc opus esset remedio, diserte et concise statuebat, et ut Hippocrates, ubi vera indicatio appareret, ibi tantum ad sanguinem mittendum permovebatur.



VITA.

Natus sum Jacobus Julius Kirschstein, fidei Judaiae addictus, die XXVIII. m. Januarii anno h. s. duodevicesimo Fridlandi, Borussia occidentali, parentibus Mose Kirschstein et Laura e gente Kirschstein, quos ut deus optimus et maximus mihi diutius conservet, ex intimo animo quotidie precor. A pueritia litteris Hebraicis imbutus, puer tredecim annoruma dii progymnasium Anclamense clarissimo Schade rectore; deinde gymnasium quod Berolini floret sub spectatiss. Augusto et postremo per tria semestria frequentavi gymnasium, cui praeet Bonnell, vir amplissimus. Maturitatis testimonio instructus, anni MDCCCXL. mense majo in alma universitate Friderica Guilelma Berolinensi ab Ill. Twesten, t. t. fasces academicos tenente, inter civium academicorum numerum receptus, et sub auspiciis Ill. Hecker, t. t. Decani gratiosi medicorum ordi-

nis maxime spectabilis, nomen rite professus, per octo semestria hisce interfui scholis:

Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia, de pathologia generali et de medicinae historia; Ill. Mitscherlich sen. de chemia experimentali, de phytochemia et zoochemia; Cel. Magnus de physice; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Weiss de mineralogia; Ill. Kunth de botanice; Ill. Gabler de logice; Ill. Steffens de psychologia; Ill. ab Schelling de philosophia revelatoria; Ill. Schlemm de osteologia, de ligamentis et aponeurosibus, de splanchnologia; Ill. Mueller de anatomia corporis humani, de anatomia organorum sensuum, de anatomia comparativa, de physiologia, qui quoque una cum Ill. Schlemm artem cadavera rite secandi me docuit; Ill. Horn et Exp. Dann de pathologia et therapia speciali; Exp. Graefe de chirurgia; Cel. Romberg de propaedeutice diagnostica; Cel. Kluge de arte obstetricia, qui idem cum Cel. Froriep aciurgiam me docuit; Cel. Mitscherlich jun. de materia medica; Ill. Casper de arte formulas scribendi; Exp. Troschel de arte fascias imponendi.

In clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, gynaecologicis duces mihi fuerunt Cel. Wolff, Ill. Juengken, Ill. Schoenlein, Ill. Dieffenbach, Ill. Busch, Cel. Kluge, Cel. Kranichfeld, Exp. Boehm.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago quam maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine sub auspiciis Ill. **Busch**, Decani spectatissimi, rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1) *Medicinae historia medico est necessaria.*

2) *Venaesectio nullo alio remedio compensari potest.*

3) *Venaesectio derivatoria sine revulsoria non exsistit.*

4) *Populorum cultura morbi rariores mitioresque facti sunt.*